

Dissertatio medica inauguralis, de ictero.

Contributors

Cramer, S. J.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Glasguae, 1800.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/j68u6z4u>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ICTERO.

DISSERTATIO MEDICA

IN VAGUAM

LOTTERIA

6

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ICTERO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII

ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.

ET COLLEGII GLASG. PRÆFECTI;

NEC NON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET

LEGITIME CONSEQUENDIS,

IN COMITIIS UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

S. J. CRAMER,

HIBERNUS,

SOCIET. REG. PHYS. ET SOCIET. OLIM HIBERN. EDIN. SOC.

AD DIEM XIX. MAII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

GLASGUÆ:

TYPIS JACOBI MUNDELL, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

1800.

DISSERTATIO MEDICA

IN ANEURISMA

ICTERO.

AVGVSTO EVMIO NUMINE

ARCHIBALDI DAVIDSON, M.D.

ET COLLEGIUM CLINICUM

AMPLISSIMO SENATUS AC ACADEMICO CONSENSU

PRO GRADU DOCTORIS

IN COLEGIO HANOVERIANO

S. E. GRADU

A. M. D. C. C. C. C.

IN ANNO DOMINI MDCCLXXXIII

IN VITIS

CLASSICA

IN VITIS

EXIMIO VIRO

THOM. CARL. HOPE, M. D.

CHEMIÆ IN ACADEMIA EDIN.

PROFESSORI;

HOC OPUSCULUM,

TESTIMONIUM OBSERVANTIÆ

PEREXIGUUM,

D. D. C.

AUCTOR.

ERRATA.

- P. 10. l. 5. *Pro* acide, *lege* acido.
P. 15. l. 6. *Pro* hominis, *lege* nominis.
P. 21. l. 3. *Pro* ducunt, *lege* ducere.
— l. 4. *Pro* contingere, *lege* contineri.
P. 24. l. 11. *Pro* perdet, *lege* pendet.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ICTERO.

MORBO, de quo pauca disceptare statui, antiqui varia imposuerunt nomina, scilicet, Morbum Regium, Morbum Arquatum, Aurigenem, et Icterum; hoc apud Græcos præsertim invaluit, propter similitudinem, quam, inter oculos Ictero laborantium et animalis *Ικτις* appellati, intercedere credebant. Alii verbum ex alio fonte derivatum volunt; præ omnibus, autem mihi arridet etymon supra traditum.

INTER omnes definitiones quotquot protulerunt nosologi, sequentem Cullenii illustrissimi primas sibi merito vindicat.

“ FLAVEDO cutis et oculorum; fæces albidæ;
 “ urina obscure rubra, immiffa colore luteo tin-
 “ gens.”

QUINQUE enumerat species :

ICTERUS Calculofus.

———— Spafmodicus.

———— Hepaticus.

———— Gravidarum.

———— Infantum.

DEFINITIONE jam memorata, de hiftoria hujus morbi proxime agendum eft.

FERTUR mulieres præ hominibus, adultos præ junioribus hoc morbo frequentius vexari, nulla autem ætas ab eo omnino immunis exiftit; at, pubertate elapfa, sæpius adoriri, pro certo conftat. Mulieres dum uterum gerunt et puerperia haud raro Ictero corripuntur; fed, in utroque cafu, leve plerumque et fugax malum, temperamento melancholico vel cholero præditi, vitam fedentariam agentes, opportuniore Ictero evadunt; cibi potufve præfertim liquorum fpirituoforum nimia indulgen-

tia morbo multum favet, morbo ingruente, conqueritur æger de languore, lassitudine, dolore plus minus circa præcordia torquente, post cibum præsertim aucto. Radices unguium nunc flavedine tinctæ apparent, quæ gradatim totam corporis superficiem deturpat; eodem tempore, gravi anxietate plectitur ægrotans, et spiritus laboriose meat. ad claviculam quoque dolor sentitur, sæpe ad humerum dextrum protendens; cutis arida et pruriens est. Fæces colorem naturalem pro luteo deponunt, albidæ fiunt, et fœtore solito privantur; alvus plerumque compressa manet, etsi, est quando ægrum exercet. Urina obscure rubet, immixta colore luteo tingens, sedimentumque deponit. Pulsus durus et frequens; dicitur tamen, descendente calculo bilario aliquando tardius solito moveri*.

His per paucos dies perstantibus, nausea, vomitus, vertigo, dolor capitis, et alia pyrexiae signa accedunt. Nunc bilis recessus corporis intimos penetrat, omnes fere humores pervadit, inquinatque. Auctores tamen fatis idonei affirmarunt lac omnino pu-

* Vide Saunders on the Structure, Economy, and Diseases of the Liver, p. 157.

rum et intactum evadere. Dum alii, ratione forsan haud minore, hoc negant; et sane, cur lac eandem ac alii humores non subiret mutationem explicatum imprimis difficile est. Dicunt nonnulli naturam providam probe curasse ne hæc secretio infante tenello dicata vitium susciperet, quod eam officio quo fungitur omnino imparem redderet. Volunt quidam humores oculi nonnunquam infici, et exinde omnia objecta flava apparere, sed huic opinioni nunc parum fidendum est. Morbo ingravescente, inflatio, aciditas, aliaque dyspepsiæ signa infestant; singultus, horrores frigidi, et haud raro animi deliquium superveniunt; cutis color nigrescit, et exhalatio è corporis superficie indusium inficit, foetidumque emittit odorem; tandem, in extremo morbi stadio, Diarrhœa liquens et Hydrops apparent, et, hæmorrhagiæ è naribus et intestinis, pessima quæque ominantes, prorumpunt.

Cum morbus in salutem cedit, fæces solitum recuperant colorem, urina copiosius et minus turbida effluit, reddit iterum cibi appetentia; dum sensus doloris et gravitas in regione gastrica gradatim sese subducunt. aliquando concreta in fæcibus deteguntur. Cum autem pulsus fit durus et frequens, do-

lor acutus, vehemens; si labescant vires, et corpus macie conficiatur, si horrores frigidi et pervigilium adsint, haud parum periculi imminet. Angore vix tolerando afficitur, tristitiæ se totum dat; et mortem brevi finem miseriis imposituram exoptat.

CADAVÉRUM EXTISPICIUM.

BILIS per totum corpus diffusa inventa fuit. etiam ossa flavedine inquinata haud raro reperta fuerunt. Aliquando, hepar, pancreas, et duodenum mole aucta et schirrosa inveniuntur. In vesica felle, quæ sæpe bile viscida turgida apparet; haud raro concreta biliaria deteguntur. Ductus biliferos multum dilatatos aliquando in os conversos, et ita coalescentes ut omnino impervii evadant, in quibusdam casibus, morbum, de quo agitur, concitasse, haud dubiè constat.

DIAGNOSIS.

ICTERUS ab aliis morbis facile secerni potest, non solum colore cutis, et statu alvi, (etsi hæc haud sunt

aspernanda) sed præsertim urina examini accurato subiectâ. Attenta urinæ observatio, et variorum quibus obijcitur mutationum, multa, quæ scitu perquam digna sunt, patefaciat. Dom. Cruickshanks * notat, quod si bilis acide nitrico commixta fuerit, ei colorem viridem impertit, hinc, cum de statu morbi ambigitur, si acidum nitricum, et præsertim muriaticum, urinæ quæ bilem quantitate vel minima contineat, adjicias, statim semet signis supra traditis prodit. Si igitur, his acidis urinæ adjectis, hanc non subeat mutationem, colligere fas est, obicem transitui bilis jam amotam esse, et morbum paulo omnino decessurum.

CHLOROSIS, Icterus aliquando haud malè mentitur; sed, attentione adhibita, facile ab invicem sejungi queant. In chlorosi, tunica adnata oculi, non æque ac in Ictero accidit, decoloratur; neque urina solito saturatior, potius limpida et pallida apparet, neque adfunt dolor et sensus ponderis in regione epigastrico. Ætas quoque quâ menses fluere incipiunt sola chlorosi obnoxia est. et harum obstructione semper comitatur. Hæc certe sunt signa mi-

* Vide Dr. Rollo's Treatise on Diabetes.

nime fallacia ; quibus chlorosis ab Ictero secerni potest.

IN febre flava Indorum Occidentalium, cutis plerumque bile distincta apparet, hoc autem procedit à bile copiosius solito in intestina excreta, quod ex infra dejectis fatis lucide patet ; febris vehemens quoque adest, vires multum, et subito collabuntur, et alvus ex bile redundante fere soluta servatur, contra ac in Ictero obtinet.

CAUSÆ OCCASIONALES.

QUODCUNQUE, ne bilis in intestina fluat, impedit, Ictero concitando par est. ex cadaverum incisione variæ transitum bilis causæ obstruentes in conspectum venerunt ; ut concreta in ductibus hærentes, tumores hepatis partiamque vicinarum, ductus bili-feros comprimunt. Scriptores concreta biliaria causam Icteri frequentissimam jure putarunt ; hæc raro in hepate, sæpius autem in vesica fellis deteguntur ; in hac, etiam et in ductu cystico, diu sæpe remorantur, quin Icterum induxerint, nisi, quantum alios ductus, obstruant ; talia enim concreta sæpe

post mortem reperta fuerunt, etsi nulla Icteri indicia unquam supervenerint. Icterus schirrum hepatis et poros biliarios exinde compressos haud raro pro causa agnoscit; tali enim hepatis statu, bilem, æque cito ac in eos fecernitur, intestinis tradere nequaquam valent. Constat quoque pancreas magnitudine auctum Icterum interdum concitasse. Doctor Monro, in prælectionibus suis eximiis ostendit hydatides haud paucas, quas dejecerat æger Ictero laborans, et ex hoc, morbo quo conflictabat, omnino liberatus est; hinc, hydatides inter causas quæ morbum excitent rectè enumerantur. Signa Icteri quæ se in infantibus produnt, meconio absorpto, vel ductus obstruenti haud inepte referri solent.

Ductus biliferi spasmò correpti Icterum interdum induxisse creduntur. Ex experimentis autem Monroio et Saunders institutis, satis liquidè patet, ductus biliarios tunica musculari nequaquam instrui; admoto enim stimulo mechanico, vel chemico ne minimè quidem se contraxerunt†; vel si aliquid hujusmodi incidisse videatur, aliam planè rationem agnoscebat; ex ductu vi stimuli rodente corrugato, quod

† Vide Saunders on the Liver, p. 78.

sæpe in substantia animali vitæ omnino experte accidit, facillime deduci potuit. Quibusdam persuasum est Icterus, quando ex affectibus animi incitantibus oriatur, ex spasmo solum proficisci posse; et Icterus hysteriæ supervenientem, ut exemplum morbi hujusmodi causis inducti proferunt. Forsan Icteri ex pathematis provenientis ratio reddi potest, si ponamus calculos antea extitisse in vesica fellis, nisu vehementiore, qui sæpe affectus animi concitationes comitatur, in ductus detrudendos: hanc opinionem Cullenus celeberrimus amplexus est, sic enim habet: “ The common duct may likewise be
 “ obstructed by a spasmodic constriction affecting
 “ it: and such spasm may happen, either in the
 “ duct itself, which we suppose to be contractile;
 “ or in the duodenum pressing the sides of the duct
 “ close together †.” Levamen quoque, quod Ictero laborans sæpe ex opio percipit, creditur firmare opinionem morbum interdum ex spasmo pendere: bene notum est, in gravioribus morbi paroxysmis, opium remedium paratissimum sæpe repertum esse; et hi qui hanc opinionem tueantur, contendunt opium vi sua antispasmodica sola pollere. Ingeniosus

† Vide Cullen's First Lines, Vol. IV. p. 446.

Doctor Darwin † aliam aggressus est reddere rationem paroxysmorum, quibus torquetur Ictericus, et turbuit eos discessui calculorum ex vesica in ductus, qui motu retrogrado eos iterum relabi faciunt; hæc autem opinio fundamento parum firmo nititur; et, quoniam probatum est ductus contractioni minime aptos existere, concludere fas est, eos solum spasmo affici possunt, ubi in duodenum hiant, vel intra tunicas hujus intestini excurrunt. Hoc modo Icteri spasmo inducti ratio melius reddi potest. Ductus quoque inflammatione correpti tantamque crassitudinem adepti, ut ex toto obstant transitui bilis, originem Ictero præbuerunt; hoc impedimentum, inflammatione sublata, iterum plerumque tollitur, et morbus sine ope medicinæ subito evanescit; hinc, opinio apud vulgus percrebuit, id, quod beneficio naturæ perficitur; incantamentis deberi. Inter causas Icteri annumerari debet obstructio ductuum, præsertim ductus communis ubi in duodenum intrat, ex bile nimis viscida proveniens.

BOERHAVIO et Morgagni persuasum erat impeditam bilis secretionem Icterum interdum movisse;

† Vide Darwin's Zoonomia, Vol. II. p. 138.

et, hinc, exitu denegato, in sanguine accumulatur cutemque flavedine inficit. Hæc opinio, quæ jam penitus obsoleverit, ponit, omnes humores secretos propria formâ sanguini inesse, et glandulas eos solum separari, quin ullam mutationem subeant. Physiologi autem hodierni maximi hominis opinantur, sanguinem fontem communem esse, unde omnes humores secreti originem ducunt, actione vero glandularum specifica multum permutandi, novasque dotes adepturi. Et sane quod opinionem humores secretos prius in sanguine extitisse, quam actionem glandularum subegerint ; ex toto convellit, est, secretionem bilis sæpe obstructam fuisse etsi nulla exinde Icteri indicia semet ostenderunt. Nuper vero Fourcroy et Vacquelin affirmarunt se detexisse bilem et substantiam gelatinosam sanguini inesse ; si experimentum quo hæc probari creditur, ipsissimis verbis, citaverim, veniam mihi daturam iri spero : “ Nous avons trouvé Mr. Vacquelin et
 “ moi, les moyens de retirer la bile toute formée
 “ du sang artériel du Boeuf, et d’y démonstrier
 “ aussi la présence de la gélatine. Voici, comment
 “ nous retirons l’une et l’autre de ces substances.
 “ En faisant coaguler au feu du sang uni à un tiers de son poid d’eau il se séparé du coagulum

“ qui se forme un liquide qui donne, par une évapora-
 “ tion ménagée, un suc si manifestement ana-
 “ logue à la bile de Boeuf, que, sans être préve-
 “ nues, plusieurs personnes l’ont reconnu à la
 “ couleur, à l’odeur, à la saveur que d’ailleurs il en
 “ présente tous les propriétés à l’analyse chimique,
 “ le serum exposé à la chaleur après avoir été mêlé
 “ de moitié de son poids d’eau, se coaguler en
 “ partie. Là proportion de liquide qui ne se coa-
 “ gule pas contient de la gelatine qui se prend en
 “ gelée par le refroidissement, elle est mêlée de
 “ muriate et de carbonate de soude *.”

SOLERTISSIMUS Doctor Hope experimenta ead-
 dem cum Messieurs Fourcroy et Vacquelin insti-
 tuit ; sed non eisdem effectus invenit, dicit, resi-
 duum post evaporationem bilem nullatenus re-
 ferre.

MESSIEURS Deyeux et Parmentier nuper experi-
 menta Fourcroy et Vacquelin iterarunt ; et eventum
 eundem esse, ac Hopeus invenit, affirmant.

* Vide Annales de Chimie, Tom. VI. p. 181.

DOCTOR DARWIN * autumat Icterus in senioribus accidere, solitum pendere è Paralyfi *innirativa* vesicæ fellis ; qua de causa bilem expellere minus valet, idem quoque in vesica urinaria paralyfi correpta accidit. Sed, antequam huic opinioni fides habeatur, demonstrari debet vesicam fellis tunicis muscularibus instrui. quod nequaquam adhuc constat.

Diu multum, et acriter inter Physiologos disputatum est ; de modo quo bilis iterum in sanguinem redit. Alii, hoc regurgitatione, dum alii, absorptione, fieri contendunt, illam opinionem amplexus est Haller, quippe per experimenta comperit injectionem tenuissimam in ductum hepaticum immisam facile per venas hepaticas elabi, hoc firmatur experimentis Doctoris Saunders, qui, observavit aquam eodem modo injectam facile viam sibi in venas aperiri. Hinc, verisimile ei apparet, bilem eandem ingressuram esse viam, si, qua de causa, exitui obstructio fiat. Doctor Monro autem opinatur, si quando bilis in venas hepaticas intret, hoc extravasatione vel ruptura sola fieri, et optime innotuit colum nunquam, persistente vitâ, flavedine

* Vide Darwin's Zoonomia, Vol. II. p. 138.

tingi. hoc solum accidit post mortem, cum corpus penitus relaxatur et solvitur.

DOM. CRUIKSHANKS putat, ostia lymphaticorum bile viscidâ obstructa venas hepaticas, ad actionem auctam ciere, et exinde, qua data porta, in sanguinem revehitur †.

EXPERIMENTA autem accuratissima Monrovii celeb. verum, quâ bilis in systema redit, viam feliciter indagarunt, et absorptioni eam referendam esse planè ostendunt. Ductu enim communi choledocho canis ligato, paucis elapsis diebus, cutis et tunica adnata flavedine tinâta apparebant; postea abdomini aperto, vasa lymphatica et vesica felle bile turgida inventa fuerunt. Ad hoc quoque adjici potest, quod idem ingen. vir affirmat, bilem vi modicâ impulsam nunquam in venas hepaticas refluere. illa opinio non solum experimentis nititur, sed etiam ex analogia deduci potest; quippe lymphatica quod nimium humoris fuisset, resorbendo ubique inserviunt.

† Vide Cruikshanks's Anatomy of the Absorbent Vessels.

ALIQUID adhuc restat dicendum de natura calculorum biliariorum vel concretionum, ut vulgo nunc nominantur, hæ olim naturam calcariam, haud male calculos vesicæ urinæ referentem, habere existimati fuerunt, chemici autem nuperi, omnia ad *analysin* accuratiorem subjicientes, haud parum luminis huic æque ac aliis affuderunt; concretiones biliaræ, si cum calculis urinariis comparata fuerunt, leviores multo sunt, et hoc discrimen haud levis momenti; illæ enim aqua innatant, hæ autem imum petunt.

DOCTOR MACLURG † affirmat has concretiones substantiam glutinosam haud parva quantitate continere, quæ quoque basin format; et constare, ut credit, ex bile coagulata, polypos, qui sanguini insunt, bene formatione referentes. Huic autem opinioni objici potest, concretiones biliarias glutine sanguinis multò facilius inflammari possunt; et menstrua quibus solvuntur, gluten sanguinis solum corrugant.

DOCTOR BLACK celeb., ex experimentis ad-

† Vide Maclurg's Experiments on the Human Bile.

ductus est ad credendum concreta biliaria natura oleosas esse ; et spermaceti haud absimilia : iis enim menstruis afficiuntur, easdemque dotes chemicas habent.

EXPERIMENTA †, quæ Saunders ad hanc litem dirimendam instituit ; fidem faciunt concreta hacce multum genere variare. Quædam parva, et scabra, multos angulos habentia, inveniuntur ; dum alia majora et omnino lævia sunt. Modo albida, modo nigerrima, vel subfusca apparent, plerumque saporis amari sunt ; flammam facile concipiunt, igneque liquefcunt ; et quoque spiritu vini, vel oleo terebinthini plerumque solvi possunt. Sunt autem quæ his menstruis haud solvuntur, quædam ad densitatem phosphori appropinquant, et quasi cera, secari possunt. Concreta aliquando inveniuntur, quæ sine flamma ignescunt, et in cineres rediguntur. In quibusdam, Doctor Saunders invenit materiam terream parva quantitate. In aliis substantiam resinofam, soda, et potassa commixtam contineri. hinc habet, hæc concreta non solum ex bile solito spissiore formari.

† Vide Saunders on the Liver, p. 111.

FOURCROY * existimat calculos biliarios nihil præter bilem inspissatam esse; et originem ex substantia oleosa ducunt, quam, poris et substantiæ parenchymatosæ hepatis abunde contingere, dicit.— Idem vir illustr. perhibet hos calculos, dum solvuntur, substantiam lamellatam crystallinam acido Boracico haud abfimilem deponere *. Hi crystalli igne fortiori admoto, in vapores vertuntur. In calculis biliariis quantitate admodum exigua reperiuntur. In spiritu vini calefacto, quam in frigido, facilius solvuntur; et varia quantitate in diversis calculis observati fuerunt. In vesicis bubulis nunquam adhuc detecti sunt. si calculi hujusmodi spiritu vini solvantur, solutione frigefacto, crystalli deponuntur.

Si hæc substantia igni subjiciatur, liquefcit et odorem acrem emittit, aqua solvi non potest, super aquam coquentem innatat, frigefacta concrefcit.— Alkali causticum eam solvit, et tunc aqua solubilis evadit. saponem igitur ex toto refert.

FOURCROY putat hæc concreta crystallina in ve-

* Vide Annales de Chimie, tom. III. p. 243.

fica fellis formari; et hîc propter quantitatem, in-
 bile solvi recusantia calculis biliariis originem præ-
 bent. Causæ, unde hi calculi oriantur, adhuc om-
 nino latent. Doctor Black celeb. multos exa-
 mini subjecit, et, ex natura horum pinguedinosa,
 eos ex omento derivari, ei verisimile apparebat.—
 Alii proclivitati ad coagulandum, quam bili inesse
 credunt, formationem calculorum referunt. Doc-
 tor Darwin † de materia cretacea cancrorum et ali-
 orum piscium, quæ quot annis conchas deponunt,
 tractans, observavit calculos, qui in aliis animanti-
 bus deteguntur, eandem forsan agnoscere originem;
 quia super membranas mucosas formantur; et oriri
 possunt ex inflammatione membranarum quibus in-
 nascuntur. Pro natura inflammationis et muc-
 membranæ, qua formantur, varient necesse est;
 eadem differentia observari potest in conchyliis di-
 versis ex vilissima concha ad margaritam. Huic o-
 pinioni utcunque ingeniosæ multa objici possunt;
 neminem latet, hæc concreta etiam per annos inte-
 gros aliquando subesse, quin incommodum levissi-
 mum concitârint, neque tempus, quo formantur,
 pyrexia vel aliis quibus dignoscatur inflammatio fig-

† Vide Darwin's Botanic Garden, vol. I. p. 138. 8vo Edit.

nis, unquam se prodit, porro, si inflammationis proles existimandi sunt calculi, quare nunquam membranis adhærentes inveniuntur?

PROGNOSIS.

ETSI Icterus raro periculofus, prognofin tamen fauftam non femper augurari licet: ætate florentes, robusti, quam annis labefacti et quorum vires morbis prægreffis franguntur, ab Ictero facilius evadunt.

DE periculo quoque iudicium ferendum eft ex vehementia et duratione caufarum, quæ morbum concitârunt. Quando Icterus ex calculis ductum communem obturantibus oritur, terminatio felix jure expectanda eft. Si quando è tumoribus partium vicinarium ductus comprimentium, vel è fchirro hepatis proficifcatur, nihil boni præfagiri licet. Mala quæ è tali ftatu hepatis proveniunt Hippocrati fagaciffimo optimè innotuerunt, nam in Aphorifmo xlii. notat:

Ἐν τοῖσιν ἰκτερικοῖσι τὸ ἥπαρ σκληρὸν γινεσθαι, πονηρὸν.

ICTERUS, quæ graviditati supervenit plerumque facile, foetu expulso, pelli potest. Cum bilis copiose in intestina dejicitur, et alvus laxa evadit, felix morbi terminatio in promptu est. Cum calculi biliarii infra dejecti, foveas vel depressiones in superficie ostendunt, plures adhuc in vesica fellis contineri, cogi potest.

RATIO SYMPTOMATUM.

DOLOR in hypochondrio subinde perceptus, ex irritatione calculi in ductu communi inhærentis, vel è statu morbo hepatis perdet. origo alvi adstrictæ et languoris, quæ se comites hujus morbi indivulsos præbent ex defectu bilis in intestinis, plane repetenda est ; et exinde totum corpus per consensum afficitur, huic quoque causæ, color et absentia foetoris soliti fæcum tribui debent. Flavedo cutis ex bile in sanguinem absorpta summumque corpus inquinante, haud dubiè pendet. *Dyspepsia* remora cibi in intestinis, propter defectum bilis, referenda est. Quin et succus gastricus forsan bile commixtus et igitur muneri quo fungitur impar, secerni potest. *Pyrexia* indicia, molestia generalis, et humores se-

creti vitati, è mixtura bilis cum sanguine plerumque pendent. *Pruritus cutis* è bile nervos subcutaneos irritante, proficiscatur.

NONNULLI hæmorrhagias, quæ sæpe è naribus profluunt, non tantum laxitati vasorum quam sanguini dissoluto, corrupto ascribunt.

MR. HEVIN * observavit, in omne obstructione hepatis venas intestinorum minutissimas ita sanguini distendi, ut tandem sæpe rumpantur; originemque hæmorrhagiis, quæ ex obstructo hepate proveniunt, præbeant. Diarrhœa, quæ aliquando occurrit, ratio haud ita facile reddi potest; quæ tamen ex facibus diu in intestinis retentis acrimonia ea ad actionem auctam cientibus, forsan oriatur.

METHODUS MEDENDI.

Pro natura et diversitate causarum unde morbus profluxerit, variari oportet. Causæ igitur remotæ,

* Vide Hevin's Cours de Therapeutique et de Pathologie Chirurgicales, Tom. I. p. 136.

prædisponentes æque ac hæ morbum excitant, quæ opportuniore instituat curatio; probe perpendi debent. Duo curandi consilia sese offerunt, nempe, *1mo*, Causas excitantes, qualescunque fuerint, quamprimum remove; *2do*, Symptomata molesta levare.

INTER causas, quæ Icterus concitant; calculi biliarii maxime communes existunt, omni cura igitur incumbendum est, ut hi quam citissime ejiciantur, hoc perfici queat, vel mechanice; usu emeticorum, purgantium, exercitu; vel chemice medicamentis quotquot vi calculorum solvendi polleant. Illis magis fidendum est, emetica præsertim leniora, optime in hoc morbo conveniunt. Emetica quæ corpus vehementius agitant non concedenda sunt.

DR. CULLEN† putat, quando inflammationem subesse suspicari fas est, melius omnino ab emeticis abstinendum. Purgantia quoque parvi pendet Cullen, nisi alvus præter modum tarda sit. Auctores autem satis idonei testarunt, se, ex usu medicamentorum hujusmodi, optimos sæpe observasse effectus;

† Vide Cullen's First Lines, Vol. IV.

remedia igitur haud contemnenda existimari debent. Scammonium et hydrargyrus muriatus mitis frequentius usurpantur.

SOLVENTIA haud pauca in usum revocata fuerunt. Dr. White Eboracensis, spiritum vini et oleum terebinthini laudibus effert. Hæc autem internè assumpta raro aliquid boni præstant ; et sane omnino abfimile est, ea tanta quantitate, in corpus assumi, et in vesicam felleam immutata deponi posse, ut pristina virtute adhuc polleant † Mr. Hevin sic de iis loquitur : “ Mr. Durande medicin de Dijon, à éprouve qu’un mélange d’ether et d’huile
 “ essentielle de térébenthine rectifiée, pris tous les
 “ jours à la dose d’un gros, par dessus lequel on
 “ fait boire du petit-lait, de l’eau sucrée, ou quelque
 “ autre liquide adoucissant et relachant, procuroit
 “ souvent la dissolution et la sortie des pierres biliaires. C’est un véritable savon dont nous avons vu
 “ des experiences heureuses : Il à fallu quelquefois
 “ en donner deux fois le jour et continue de tems
 “ en tems, le remede apres la guérison.”

† Vide Hevin’s Cours de Pathologie, &c. p. 141.

EXERCITIUM bene, præsertim equitatio ad calculos detrudendos haud parum confert; exercitio quoque, ex parte saltem, cavetur ne bilis nimis viscida evadat. Doctor Hall† Philadelphiensis, narrat, in Actis Collegii Medicorum se paucis Ictibus electricis ex epigastrio elicitis, ex Ictero, quo laborabat, feliciter convaluisset.

Si dolor et tensio ad epigastrium valde urgent, ad fomenta, sæpe cum levamine decurritur. Hæc cutem relaxant, et partium vicinarum spasinum, si quis adfit, tollunt.

SICUTIQUANDO signa inflammationis dolore vehementer et dyspnœa comitata, sese produnt regimen antiphlogisticum, et detractio sanguinis sedulo præcipienda sunt. Sanguis in hoc statu detractus, ut Cullenus observavit, tunica coriacea sæpe obductis apparet. Opium parvis dosibus dolorem certissime mitigat, si quando ex spasmò originem duxerit. Cathartica, præsertim amara quæ vice bilis purgantur, sæpe adhibentur, inter quæ Pulvis Rhei, in-

† Vide Transactions of the College of Physicians of Philadelphia, Vol. I. p. 192.

fuf. Cham. cum tinctura Aloes et Columbæ recte annumerantur. Rhubarbum quoque eum fapone, vel Sulphate Potaffæ conjunctum haud male refpondet.

Cum dolor vehemens urget, et pulfus tardus eft, tepidarium, adhiberi poteft. Calomel ex duobus, ufque ad quinque grana non fine magno comodo ufurpatum eft, ufus ejus, donec ptyalifmum lenem moverit continuari debet. Si Icterus, ex fchirro hepatis partiumve vicinarum, pendeat, ad Deobftruentia confugiendum eft; inter quæ Hydrargyrus eminet; et, hepate fchirro affecto, remedium præftantiffimum merito habetur, fcilicet effectus bonos, quos præftat experientia fere quotidiana docemur. Cicuta eodem confilio ufurpata fuit, fed eventus ufum ejus nequaquam comprobavit.

Dom. Scott Bombaienfis in fchirro hepatis Acidum Nitricum multum laudibus effert; et, fi ei ulla fit fides, perhibet, optimos effectus ufum ejus comitari. Dicit quoque obftructionem hepatis quacunque de caufa, hoc remedio certo depelli. Ingen. Dr. Duncan autem, in tribus quatuorve cafibus id

adhibuit, sed non pari fucceſſu ; nihil boni ex uſu
ejus reperit, niſi quod appetentiam cibi adjuva-
bat.

IN Ictero ex ſchirro hepatis proveniente, vires
ægri ſæpe multum franguntur ; hinc tonica et a-
qua chalybe imbuta, quæ vim ægrotanti concilient,
neceſſaria fiunt.

QUANDO Icterus ſeſe oſtendit in gravidis, et in-
fantibus, ad ſtatum alvi præfertim reſpiciendum
eſt ; et morbus catharticus fere ſemper cedit. Gra-
men, cum eventu ſatis felici uſurpatum eſt, vege-
tabilia recentia omnigena, propter vim, quæ alvum
ciendi pollent, ſæpe non ſine fructu utuntur. Alia
quoque remedia diverſis temporibus uſui commen-
data fuerunt ; hæc autem jam enumerata aliis pal-
mam præripiunt.

FINIS.

GLASGUÆ:

EXCUDEBAT JACOBUS MUNDELL,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.